



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 88. Ejusdem Myst. punct. 2.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

## MEDITATIO. LXXXVIII

*De Predicatione in Templo. Luc. 19.*

Myft. punct. 2.

CONG. Ut semper solet.

PRÆL. I. Quomodo Christus finita prædicatione in Bethaniam redierit, nullo ipsum Jerosolymis excipiente.

PRÆL. II. Iter Jerosolymis in Bethaniam cogitatione metiri.

PRÆL. III. Postulare gratiam Christum sequendi sine spe mercedis humanæ.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum cessantem à labore docendi & prædicandi, qui toto die duraverat.

INTEL. Sicut Joan. 4. legitur *fatigatus ex itinere*, sic inveniemus illum fatigatum ex diurno labore instruendi populum. REFL. Perpendamus, quod sic fatigatus fuerit propter nos, ut nos & verbo & exemplo provocaret ad laborandum cum ipso.

VOL. Dicamus cum Ecclesiâ: *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* Optemus cum ipso fatigari in operibus charitatis, exemplo Tobix. Cap. 2. *Qui erat fatigatus à sepulturâ*, ab opere misericordiæ temporalis.



**PUNCTUM II. VERBA. MEM.** Audiamus Christum verbo, & exemplo clamantem id quod dixit Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.*

**INTEL.** Ratiocinemur verè illum toto die gratis prædicasse, docuisse, sanasse, &c. Nam non legitur Jerosolymis ab ullo fuisse exceptus hospitio.

**REFL.** Meminerimus Regulæ nostræ. 27. summ. quæ monet, nos *gratis dare debere, quæ gratis accepimus.*

**VOL.** Excludamus ab animo nostro omnem cupiditatem donorum, & cujusvis remunerationis laborum nostrorum. *Quid mihi est in Cælo aut à te quid volui super terram?* Ps. 72. Ità servemus Regulam nostram: ut cum Samuële dicere possimus: *loquimini de me coram Domino ... Si de manu cuiusquam munus accepi.* 1. Reg. 12.

**PUNCTUM III. OPERA. MEM.** *Cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.* Marc. 11.

**INTEL.** Finito prædicandi, & docendi labori, novus labor succedebat, redeundi cum duodecim in Bethaniam: quamquam nec in viâ cessabat ab Instructione Apostolorum, nec in Bethaniâ ab instructione populi accurrentis. **REFL.** Consideremus quod in illo multiplici, & quasi perpetuo labore, nihil sit, quod non spiret paupertatem, abjectionem sui, & humilitatem.



**VOL.** Renovemus, & suscitemus in nobis spiritum tertii modi humilitatis, ut Christo optimo Imperatori nostro possimus assimilari.

**COLLOQ.** Conformia. **RECOLLECTIO.**

**HEBDOMADÆ SECUNDÆ**

**FINIS.**



**HEBDO-**